

nonnullis locis incensa ; fuisseque eo die Hadria omnino eversa , nisi Venetus suos a præda & cæde edicto revocasset . De situ & vetustate loci alio loco diximus . Capta Hadria , totus ager & omnia quæ in eo fuere , in prædam concesserunt . Comaclum quoque per eos dies in Venetorum potestatem venit : ad quod recipiendum navigia non adeo multa sunt missa .

His aliisque circumiectis locis partim vi partim voluntaria deditione receptis , quum classem interim adverso Pado in hostem Maurus ageret , ingens citra ultraque flumen fuga facta dicitur . Ejus accolæ Hadrianorum clade territi , Ferrariam , aut alio , ubi se tutos fore putabant , cum conjugibus & liberis præcipiti fuga abierunt . Communiverat Hercules Padum ea parte , qua classis agebatur , ad locum , quem *Pilosellam* vocant , tribus ligneis castellis , medio amne uno , reliquis circa ripas constitutis , quibus ingens bombardarum telorumque vis inerat . Validum ad id præsidium in medio erat ; sed in ripis longe validius . Aderant Sigismundus Æstensis , Herculis frater , & Joannes Bentivolius , Bononiensis , cum equitibus sexcentis , ac peditum numero pene pari . Habebat secum Maurus vim navium ingentem , galeones , lembos , ganzariolas , ac pleraque alia diversi generis navigia circiter ducenta , omniaque optime ad bellum instruta . Ipse triremi inventus , ferociter terra & aquis hostes adortus est . Tanto animorum ardore hic a Veneto res gesta dicitur , ut pulso equitatu , ac reliquis tota ripa turpiter fugatis , castella quæ in aquis erant , post acerrimum certamen capta sint . Nec victoria omnino incruenta fuit : multi , alii aliis casibus , & in aquis & circa ripas conciderant ; sed res læta effecit , ut si qua clades eo loco accepta est , illa ipsa ad sensum non pervernerit . Castellum quod in mediis aquis fuit , quodque grandiori navigio impositum erat , Venetas est missum ; reliqua incendio absumpta . Maurus vicit dextra levaque navales socios cum terrestri milite circa flumen prædatum mittit : illi vero non tam prædæ studio , quam ut suum in